



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1784

VD18 13322648

§. 27. Clemens Augustus S. R. J. Elector in Coloniensem Archiepiscopum a
Papa inauguratus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

tium una omnes Regno excedere juberentur, imo ii quoque, qui in monasteriis delitescerent, inde vi extraherentur. Adversus hoc edictum reclamabat quidem Papæ Nuntius, qui Immunitatis Ecclesiasticæ privilegia, Hospitalitatis jura, & Pontificis patrocinium Anglis impensum opponebat: ast incassum omnia; ipse enim Fleurius Cardinalis Nuntio Apostolico reponerat, Regis edictum inniti Hannoverano fæderi, & successionis juri, quod Franciæ Reges in Georgium I. legitime translatum agnovissent; de cetero autem Regi pergratum fore, si Prætendens ex Avenionensi quoque Comitatu, utpote in Galliis sito, quanto citius emigraret. Hæ totque aliæ haud leves molestiæ Pontificem aliunde gravi senio pressum ita proterebant, ut in morbum sat periculosum incideret, quo tamen paulopost defunctus est.

§. XXVII.

*Clemens Augustus S. R. J. Elector
in Coloniensem Archiepiscopum
a Papa inauguratus.*

Fluxerat annus hujus sæculi vigesimus tertius, quo Josephus Clemens, quartus e Bavaricæ Ducibus Ecclesiæ Metropolitanæ Coloniensis Archiepiscopus

M m 4

scopus

Sæc. XVIII.
A. C. 1727.

Sæc. XVIII. scopus die duodecima Novembris e
A. C. 1727. vivis excessit. Huic successerat Cle-
 mens Augustus ex eadem Domo pro-
 genitus Dux, qui die quarta Martii
 Anno 1725. sacro initiatus Sacerdotii
 Ordine, Monachii sub oblati die ter-
 tia Aprilis Deo primitiis, Divino se-
 cum epulo totam serenissimam Fami-
 liam Neo-Mystra refecit. Peractis
 hisce solemnibus Clemens Florentiam
 petiit, ac unacum Violanta Beatrice
 Amita sua & Magna Etruriæ Prin-
 cipe Romam contendit, ut Apostolo-
 rum limina inviseret, & simul ab ipso
 summo Pontifice Archiepiscopus con-
 secraretur. Serenissimos hospites Be-
 nedictus XIII. paterna, & prorsus sin-
 gulari excepit benevolentia; cum au-
 tem de præcedendi jure inter S. R. J.
 Electores, & summi Pontificis Electo-
 res antiqua esset controversia, propo-
 sitisque variis mediis nullum inter
 utriusque partis prærogativas tempe-
 ramentum inveniri posset, tandem
 summus Pontifex Roma Viterbium sine
 Cardinalium comitatu venire statuit.
 Attamen huic quoque consilio obstitere
 Cardinales, nescio quæ impedimenta
 caussati, quibus tamen Pontifex re-
 spondit, olim Calixtum II. Romæ ad
 Montem Cassinensem fuisse profectum,
 ut hujus Monasterii Abbatem sacraret,
 multo

multo ergo æquius esse, ut Bavariæ Ducem S. R. J. Electorem in Archiepiscopum initiaturus, Viterbium contenderet. Rupta igitur omni mora die quinta Novembris eo profectus, die decima ejusdem Mensis Clementem in Archiepiscopum consecravit, & pallio in Ecclesia FF. Prædicatorum *sanctæ Mariæ a Quercu* nuncupata insignivit. Assistentibus Archiepiscopis Fimo, Santamaria, Gamurracio, & Farsettio. Intererat etiam festivæ huic solemnitati præfata Etruriæ Princeps, quam æque ac Electorem Pontifex plurimis comitatus officiis largiter honoravit, & ne exercendæ pietatis occasionem prætermitteret, nonnulla Altaria Deo Maximo dicavit, nosocomia invisit, & quotquot fere aderant Urbis pia loca lustravit.

Sæc. XVIII.
A. C. 1727.

§. XXVIII.

Religionis Catholicæ status in variis Provinciis.

Interim Religio Catholica in diversis Regionibus varia subibat fata; præprimis enim Christianissimus Rex ineunte hoc anno cum Nuntio Apostolico & præcipuis Franciæ Præfulibus de propaganda fide Catholica & restringenda Calvinistarum libertate præci-

M m 5 pue